



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Venter eius eburneus, distinctus saphyris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

RUPER. IN CANT.CAN. CAP. V.

¶ Venter eius eburneus, distinctus sa-  
phyris.

Qualis uenter, q̄ pulcher, & q̄ decorus: ue-  
runtamen & caput pulchrius & pulchriores ma-  
nus. ¶ Nam caput aurum optimum, & aurex  
sunt manus, uenter autem eburneus. Pulchrum  
quidem & præciosum est ebur, sed aurum longe  
pulchrius, longe preciosius. Sic nimirum huma-  
na dilecti huius natura siue substantia, passibilis  
quondam & tenera, pulchra quidem & precio-  
sa, sed diuina longe pulchrior, longe preciosior,  
in una eademq; dilecti persona, nunquam pas-  
sibilis, semper immortalis, ut erat ante omnia se-  
cula. Vere pulcher & decorus uenter eburneus,  
quia sicut ebur magni corporis. s. elephantis, to-  
ta pulchritudo, totumq; præcium est: sic iste ué-  
ter, uidelicet humanitas siue caro, quam ex ge-  
nere humano assumpsit, totius mundi maximeq;  
generis Abrahæ, de cuius semine nasci uoluit de-  
cus & gloria est. ¶ Pulchrius nimirum atq; pre-  
ciosius est ebur carne uel corpe reliquo, de quo  
sumptum est: & nihilominus caro dilecti huius  
pulchrior, mundior & incomparabiliter sancti-  
or est omni massa, cuius ex semine sumpta est.  
Nam uniuersitatis hominum ista cōditio est, ut  
nullus sit qui non ueraciter dicat: Ecce enim in  
iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis con-  
cepit me mater mea: Præter hunc unum & uni-  
cum, singularem & solum, quem sine ulla iniq-  
itate, absq; ullis peccatis concepi ego mater sua,  
nunc incorrupta, mater in conceptu intacta, in  
partu & post partum illæsa & integra. Ita uen-

Psalm. 50

**COMMENTARIO.** LIB. V. Fo. 87  
ter eius eburneus, id est, homo ipse est castissi-  
mus, ab omni uitio frigidus, contra omnia quæ  
sunt carnis & sanguinis ualde solidus, impassibi-  
lis & mundus, sanctus, innocens & impollutus,  
& omnino a peccatoribus segregatus.

**H**uiusmodi uenter, & si non aurum siue au-  
reus, ut caput est aurum, & ut sunt aureæ manus:  
attamen distinctus est saphyrus, id est, humani-  
tas eius, & si nō est id ipsum quod diuinitas eius,  
attamen splenduit rebus diuinis, glorificata est  
omnimodis priuilegijs diuinitatis ab ipso initio,  
quo cum uagiret in cunis, famulante cœlo, & in  
dice stella, adoratus est a Magis, usq; ad consum-  
mationem, id est, usq; ad mortem, mortem autē  
crucis: ubi dum compungeretur hic uenter cla-  
uis & lancea militis, cœlum obscuratum est, &  
tenebrae factæ sunt, & uelum templi scissum est  
& terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monu-  
menta aperta sunt, & cætera deinde facta sunt, q  
tu considerās recte dicas, quia sub pedibus eius  
quasi opus lapidis saphyri, & quasi cœlum cum  
serenum est.

**C**rura illius, columnæ marmoreæ, quæ  
fundatae sunt super bases aureas.

**C**rura illius uiæ sunt illius. s. misericordia, &  
iudicium, siue misericordia & ueritas, Sicut ait  
Psalmita: Vniuersæ uiæ domini misericordia  
& ueritas. Nam ueritas ipsa est iudicium uerū.  
Crura ista, uiæ istæ, columnæ marmoreæ, id est  
rectissimæ sunt utiq; firmissimæ, nec est q possit  
eas infirmare, aut iuste reprehendere. Nam iudi-  
cia domini uera, iustificata in se meipsa, Exem-

Matth. 2,  
Philip. 2  
Ioan. 19  
Matt. 27

Exod. 24

Psal. 14

Psal. 18